

Q. D. B. V.

Ad

Benevolis auribus suscipiendam Orationum
Scholaſticarum Trigam,
& quidem

44

Unam CONRECTORIS haëtenus no-
ſtri abitialem,

de

VERE IN AUTUMNO,

h. e.

de ferò & feriò diſcentibus,

& reliqvas duas aditiales,

novelli nempe CONRECTORIS,

de

LAUDIBUS GRAM-
MATICÆ,

ejuſqve in SUB-CONRECTORATU Suſceſſoris,

de

VOLUPTATE CORPORIS,

hoſte Studiorum infenſiſſimo,

& d. XI. Junii hora I. pom. in Scholâ Altenburgenſi
recitandas,

Omnes Reip. Literariæ Proceres, Muſagetas & Fautores,
eâ quâ par eſt humanitate officioſe invitât

M. JACOBUS DANIEL ERNESTI, RECTOR.

Altenburgi, Typis Gothofredi Richteri, Typogr. Ducal.





a. Plin. Lib.
9. Epist. 8.

MEmoria atq; consideratione dignissima judicamus: verba illa, quæ apud dexterrimum illum probatissimæ Latinitatis & egregiarum sententiarum Dædalum, C. Plinium Secundum (a) hoc te-

nore leguntur: *Ut aliquis libenter educationis tedium laboremq; suscipiat, non præmiis modò, verum etiam exquisitis adhortationibus impetrandum est.* In quo effato duo præcipuè nobis ἀξιόσυνεπα esse videntur. Primum est, vitæ scholasticæ tædiosus labor, miseraq; Præceptorum conditio; Alterum; Remedia certa atque θεληήρια quibus subrepens illud tedium leniri, animiq;ve ad tolerandos Herculeos istos labores excitari possint. Prius quod attinet, veniam illam non hodiè novam esse novimus, quæ ii, qui Scholis vel præsunt vel insunt, spississimas illius vitæ molestias falsis deplorant lacrymis, quorum θενωδίας jam non vacat adscribere, neq; etiam earum capax esset harum pagellarum angustia. Non possumus tamen nobis temperare, quin singulares Christophori Wineri, (b) Scholæ quondam Gothanæ Conrectoris laboriosissimi versus, ad confirmandam rei fidem citemus, ita autem ille:

(b.) Winer.
Coroll. Lib.
XII. L. Pa-
neg. Sacr.
Epigr. 26.

*Pro tam difficili, plenaq; labore palestra,
Hi sunt thesauri divitiarq; mea:
Pulveris absorpti drachmarū pondera centū,
Pedorum & bilis mixta selibra duūm.
Lesa valetudo: macies cum tusse, catarrhus
Cum peri pneumonia; pallor in ore gravis,
Ira,*

*Ira, odium, invidia, & livor, contentio, pugna,
Nilq; nisi in vacua bibliotheca domo.
Ære crumena carens, per pauca aut gratia
nulla,*

Grandi magnifici lucra Magisterii.

Quos versus, postquam adduxisset *Andreas Wilkius* (c) ejusdem *Isai* *Rector* meritissimus, hoc ipsis subnectere placuit epiphonema: *Verè nimis, o beatissime Winere, utinam aut ego aut quisquam alius queamus aliter de Scholarum præmiis scribere, qui ista omnia, & vel graviora experti sumus, experimur, experietur & si qua futura est posteritas. Communis isthæc & fatalis Scholarum calamitas, nec deponi nisi cum Scholis & mundi hujus Schemate poterit. Non autem talia tantum ingeminant illi, qui Scholarum ergasteriis inclusi, lento quodam martyrio vitam impendunt, proq; sanguine spiritus nobilissimos Deo consecrant, ut sua nobis verba commodet Jesuitarum famosissimus *Cornelius à Lapide*, (d) sed & defœcatoris judicii *Viri Politici* idem de Scholasticorum vita sentiunt, id quod insigni quadam historiola confirmabimus, quam celeberrimæ famæ & industriæ Autor *Martinus Zeillerus* nobis subministrat, (e) Refert autem ille, accidisse aliquando in *Marchiâ*, ut vir quidam & genere & virtute nobilissimus, Rectorem quendam rogaverit, quamdiu Scholis præfuerit, quo respondente; se per quadraginta integros annos *Sisyphium* hoc saxum volvere, reposuit *Nobilis: Mi Domino Magister, cur non antequadragesimo annos vivum te extoriarî passus es, eâ enim viâ tam longinquæ tormenta unius horulæ beneficio potuisses effugere. Adde, quod continuos istos in scholis sudores ut plurimum tenuissima salaria subsequantur, quod ipsum innuere voluit *Valentinus Trozendorffius*, Scholæ olim *Goldbergensis* Moderator famæ nunq. intermorituræ, qui mar-**

c. Wilk. P. 1.
Heortolog.
P. 445.

d. Corn. à
Lapid. in
Encom.
Script. ante
Pentateuch.
e. M. Zeill.
Enchir.
P. II, p. 246.

f. Schickf.
Chr. Sil.
Lib. I. c. 41.
f. 218.
g. Ovid. l.
IV. de Pont.
El. 3. d. 20.

h. Car. Si-
gon. de
Imp. Occid.
lib. I. ad An.
298. Christ.
Lehm.
Chron. Spi-
rens. Lib. I.
c. 25. p. 42.
i. In l. Si
duas 6. §. 2.
ff. de Ex-
cusat.
k. Lib. XIII.
Cod. Theod.
Tit. III. l. II.
de Medic.
& Prof.

gini tabellæ, in quam pictor vultum ejus penicilli beneficio transtulerat, hoc distichon inscribi jussit:

*Artes tradebam totius tempore vitæ,
Et quæ sunt mundi præmia pauper erã. (f.)*

Unde Nasoni (g) *Humili arte duram repellere famem*, idem est ac Præceptorem agere. Hæc cum accuratiori mentis trutinâ secum ponderarent Viri illi, quorum sapientia barbaram Nasutulorum multorum *δοκίμοσφιαν* multis parasangis prætergressa erat, curæ cordiq; sibi maximè esse voluerunt, ut Scholarum Magistris dehonesto salario prospiciendo, illos ad onera ista heptaboëo animo subeunda sollicitarent, aut fugientes è pulvere scholastico animos, ad fastiditas operas beatioribus præmiis retraherent. Cum Constantinus Chlorus Imperator, qui seculo nascente quarto, mortalitatis exuvias deposuit, Eumenem Rhetorem ad docendam Oratoriam in Galliam advocaret, literas ad ipsum exaratas his verbis conclusit: *Salarium te in sexcentis millibus nummũ* (h. e. sex millibus coronatorũ, ut vult Budæus Lib. II. de Assè) *ex Reip. viribus consequi volumus, ut intelligas meritis tuis etiam nostram favere clementiam. Vale Eumeni nobis charissime! (h)* Nec talem unum aliquem in tota Gallia reperiri erat, sed in præcipuis quibusq; urbibus etiam plures. Statuerat enim jam diu ante Antonius Pius (i) tam de aliis scientiis & artibus quàm de Rhetoribus hoc modo: *Minores quidem civitates possunt quinq; medicos communes habere, & tres sophistas & Grammaticos totidem, majores autem civitates septem qui curent, quatuor qui doceant utramq; doctrinam: maxima autem civitates decem Medicos & Rhetores quinq; & Grammaticos totidem.* Gratianus autem cum Valente & Valentiniano harum artium & disciplinarum per Galliam Doctoribus proventus constituit annuos his verbis: (k)

Opti.

Optimi quique erudienda praesint iuventuti. Rhetores loquimur et Grammaticos Attica Romanaque doctrina, quorum oratoribus viginti quatuor annorum (harum singulae mensum annui victus continebant) e fisco emolumenta donentur. Grammaticis Latino vel Graeco duodecim annorum deductior paulo numerus ex more praestetur, ut singulis urbibus, quae Metropoles nuncupantur, nobilium Professorum electio celebretur, Trevirorum vero clarissima civitati uberius aliquid putavimus deferendum. Rhetori ut triginta, item viginti Grammatico Latino, Graeco etiam, si quis dignus reperiri poterit, duodecim praebentur annona. (l) Quorum Imperatorum liberalitatem nunquam satis decantandam, & alii Scholarum patroni, id propter laudibus suis dignissimi, gloriosè imitati sunt. (m) Et quid de iis dicemus, qui Praeceptores suos non praemiis modo donisque amplissimis, sed & magnis insuper honoribus affecerunt? quos inter jure meritissimo collocandas Theodosius Imperator, qui cum Arsenio Constantinopolim accedenti, filium suum traderet moribus ac literis imbuendum, post hac, inquit, tu magis pater ejus quam ego. Cum aliquando ingressus scholas vidisset Arsenium stantem, Arcadiumque sedentem, increpito Arsenio, quod Magisterii gradum parum decore servaret, illo vero excusante haut decere sedentem se docere Imperatorem, indignans Theodosius, Arcadio abstulit Imperatoris insignie, sedereque in throno Arsenium compulit, filium vero detecto capite auditorem profiteri, illud inculcans, tunc prolem suam verè fore dignam imperio, si cum scientia aequè imbuta esset pietate. (n) Ausonio Treviris Gratianus & Valentianus hujus nominis Caesaris filii, magistro usi sunt, qui favesces scholares denique Gratiani favore cum consularibus permutavit, Galliarum insuper praefectura donatus. (o) Gerbertus e Benedicti familia Monachus, Hugonis Galliae Regis & postea Ottonis III. Imp. moribus formandis

l. Vid. Masen. in Ad-dit. ad Christ. Brovveri An-nal. Trevir. Parasc. cap. XXVII. fol. 104. Tom. I. m. Vid. Casp. Tit. Loc. Hist. Art. XXVII. cap. 1. p. 1060. Schneid. Tit. Con-tin. Loc. XXV. cap. I. p. 1478. seqq. n. H. Spon-dan. T. I. A. C. 383. n. 5. fol. 394. o. Brovver. Antiq. Trev. Tom. I. fol. 104.

p. Diäterich præfuit, ab illo Archiepiscopus Ravennæ constitutus, ab hoc ve-
 Hist. Au- rō in summa Romanæ Ecclesiæ sede collocatus & Sylvester II. ad-
 gust. Imp. pellatus fuit, (p) Hadrianus Ultrajecti in Belgio parentibus sortis
 Germ. in mediocris natus, magnus ex informatione Caroli V. evasit, cujus
 Ottone III. præceptor factus ex Academia Lovaniensis Cancellario, hinc
 s. 1. p. II. Dertusensis in Hispania Episcopus, inde Cardinalis & Vicarius
 q. Id. Brev. Regis in Hispania, tandemque beneficio gratissimi discipuli Pon-
 Pontif. p. tificis Maximus factus est. (q) Nec defuit Ethnicis laudabilis erga
 374. Præceptores adfectus. Alexander M. interrogatus, utrum magis
 r. Combes. desideret patrem Philippum an Aristotelem Præceptorem? *Ma-*
 Apopth. *gistrum*, inquit, *ille enim ut essem, hic autem ut præclare institutus*
 pag. 133. *essem, autor fuit.* (r) Stupendam ejus in præceptorem liberalita-
 s. Vid. Ca- tem, aliis decantatam, (s) hic intactam relinquimus. Marcus An-
 mer. H. S. tonius Pius Phil. Imperator magistros atque præceptores suos sum-
 Cent. II. cap mo in honore habuisse dicitur, imagines enim eorum aureas in la-
 55. pag. 236. rario coluit, floribus sepulchra ornavit. (t) Quid verò de iis di-
 t. Melch. camus honoribus, quibus Sinenses Confutium, eruditionis Sinicæ
 Jun. Tom. principem adficiunt? Vixit quingentis quinquaginta uno an-
 VI. Orat. de nis ante nostri Salvatoris incarnationem, in hunc usq; diem inter
 Præcept. omnes Philosophos Sinicos maximus. Tanta viri apud eos auto-
 Amore, p. ritas obtinuit, ut posteri illius per tot temporum intervalla in hunc
 281. quem usque diem magno sint apud omnes loco. Proprium literato-
 vide. Adde rum fanum ipsius Confutii est, id per imperii leges ei in qualibet
 Zeiler. Th. urbe construitur, eo in loco, quò literarius ludus continetur, No-
 Trag. Hist. men illius literis aureis exaratum, Academiae fronti superimpo-
 XV. p. m. nunt, cui honores habentur, qui vivis magistris solent. In dicto
 515. seqq. autem fano, novi lunio & plenilunio magistratus omnes urbani
 u. Vid. Spi- cum renunciatis Baccalaureis conveniunt, Magistrum solitis incli-
 zel. de Re nationibus ac genu flexionibus, cereis insuper ac suffitu venera-
 Liter. Si- turi. (u) Scilicet! *præceptorem agere tam sanctum & venerabile*
 VII. p. 115. *munus est, ut de genere humano nemo præclarius mereatur*, inquit,
 seqq. Ar- Phil. Caroli (x) ut non immeritò magnus ille Erasmus Euricium
 nold. Addit Cordum ad sedulam adolescentum informationem his memoratu
 ad Roger. dignis extimulet verbis: *Quo alacrius versaris in isto munere fac me-*
 Cap. VI. p. *mineris, neminem secundum Principes & Episcopos magnificentius*
 577. Cap. XII. p. 721. seqq. x. Phil. Caroli in Gell. I, XIII. c. 20, Anim. I, p. 504.

posse mereri de Republica, quàm ludi literarii Magistrum, si rudibus
 adhuc & in quemvis animum sequacibus animis mentem instillet Chri-
 sto dignam, easq; literas, quae semper optimo cuiq; placuerunt. (y) Ve-
 rum autem verò, perpauci in hac senescentis & ad interitum præ-
 cipitantis mundi tempestate reperiuntur, qui dignitatem officii
 hujus honestissimi iusta iudicii lance expendant, pauciores qui do-
 centes iusto honore afficiant, paucissimi, qui improbos ipsorum
 labores dignis præmiis prosequantur. Lateat, quod eis ἀνεργ-
 ουσ σεβίης ἱκανοὶ πᾶσι, ἃ δ' αἰνοῖς διδασχῆς τε καλῶς, ἃ δὲ πλεγαῖς.
 ἃ δ' ἐμυκλῆς ἀρεῖς ἐκπονεῖνται, ultimas ad nequitias iuventus vene-
 rit, neque laudum stimulis neque virgis minusve moveatur, ut suo
 quondam tempore querulatus est Mich. Neander, Vir de Scholis
 & universa literatura meritissimus. Quæ omnia, si quis experis-
 entia interprete penitiùs consideret, mirari haud debet, si quem
 scholis μακρὰν χάριν dicentē, & ex pulverulenta cathedra ad qui-
 etiora se conferentem viderit. Hæc præfaminis loco ad illu-
 strationem dicti Pliniani præmittere visum fuit, antequam ea, quæ
 crastina σὺν Σεῶ luce in Schola nostra gerentur, aperiremus.
 Sudavit in Asceterio nostro scholastico per octodecim, &
 quod excurrit, annos strenuè, Vir Plurimum Reverendus
 & Præclariss. Dn. M. CHRISTOPHORUS GRÆFIUS,
 è Sulzensium Salinis Thuringus, primùm Lectoris, postea
 Sub-Conrectoris, & demū Con-Rectoris munere laudabi-
 liter perfunctus. Is præeunte vocatione legitima, post pau-
 cos interjectos dies, ad pascendas Christi in Ecclesia Brei-
 teuhaynensi ejusq; filia Proesdorffensi oves abiturus, prius
 publicè ex cathedra verba facere decrevit valedictoria.
 Volupe est ipsi, ut antea *Autumnus in Vere*, sic impræsenti-
 arum VER IN AUTUMNO Auditorio proponere, i. e.
 de sero & tamen seriò & cum fructu discentibus disserere.
 Qua Disertatione finita, carmine epico Deo, Patronis,
 Fautoribus & Amicis gratias est acturus debitas. Hujus
 in officio & cathedra Sucessor Vir Clarissimus & præstan-
 tissimæ eruditionis Dn. JOH. WAHLLIUS, hætenus
 Sub-

(y) Erasmi.
 ap. Adam. in
 Vit. Cordi
 P. 24.



Sub-Conrector fidelissimus, Oratione sua adituali *Laudes Grammaticæ, Argumentis petiis ab Antiquitate ejusdem & Dignitate*, decantabit. Finita illius oratione cathedram dicturus ascendet Vir Pereximius & satis eleganter eruditus Dn. TOBIAS HEINIKE, hactenus Scholæ Lector, jam verò Sub-Conrector dexterrimus, qui nervosa brevitate nonnulla *de Voluptate Corporis, hoste Studiorum perniciosissimo*, explicabit. Ut igitur Magnifici Scholæ nostræ Patroni, Amplissimiq; Domini Inspectores, *μυσάων ἰοσηφάνων ἀγάλματα λαμπρότατα*, omnesq; bonarum literarum Æstimatores & Fautores *πολυτίμησοι* relictis domi severioribus negotiis ad Musarum nostrarū alveolos frequentes confluere, dicturis Dn. Collegis vacivas aures benevole præbere, & solennitatem hanc scholasticam numerosa sua præsentia illustriorem reddere ne dedignentur, maximoperè pro ipsorum erga nos favore, singulariq; humanitate etiam atque etiam petimus & quæsumus. Oraremusq; intensius, nisi de candidissimo ipsorum in nos Musasq; mansuetiores adfectu dudum fuisset certissimi. Ut itaque amplissimam Auditorum coronam nobis pollicemur, sic mox discessurum Dn. Collegam cum calidissimo constantissimæ felicitatis voto *ὀλοφρενόθεν* prosequimur. Tu verò B. L. Scholæ nostræ, tanquam Palladii hujus urbis & Regionis incrementa Tibi habe commendatissima, & vale divinis *ἐραυιόενιδ* & alis tenerrimè commendatus.

PP. Altenb. IV. Id. Jun. A. O. R.
 M DC LXXX.



90 A 6406

ULB Halle 3
002 916 622




56

Retro V

VDMA








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



B. V.

ipiendam Orationum
m Trigam,
dem

44

ORIS haetenus no-
tialem,

UTUMNO,

ò discentibus,
duas aditiales,

ONRECTORIS,

IS GRAM-
ICÆ,

CTORATU Successoris,

E CORPORIS,

m infensissimo,
n. in Scholâ Altenburgensi
andas,

ceres, Musagetas & Fautores,
nitate officiose invitat

L ERNESTI, RECTOR.

edi Richteri, Typogr. Ducal.

